



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Cap. I. Christus, , Principium, & finis omnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

per ordinem ad quascunque
Creaturas.



Christus α & ω, principium
& finis.

I S S E Christum & e ω principium & finem Ioannes cap. 1. Apocal. loquitur non finit. Sic enim loquitur in Christi persona. *Ego sum & ω, principium & finis dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat & qui venturus est, omnipotens.* Video ingenerandam alicui suspitionem, quod hic locus cadat in Verbum, non in Christum. Nam Verbi est, dicit *Dominum Deum, & dicit qui est, & qui erat.* Illud enim *qui est*, vt plenē mōstro in Naturali Theolo. dist. 6. & nūm. 46. & præter cæteros pulchre tradit S. Hilarius libro 1. Trinit. significantissimē Deo exprimit: vt propterea admiratū plenē se dicit S. Hilarius, [tam absolutam de Deo significationem, quæ naturæ diuinæ incomprehensibilem cognitionem, aptissimō ad intelligentiam humanam sermone loqueretur.] Aptissimē quoque ea vox, Dei æternitatem indefectibilitatemque designat, vt idem S. Hilarius egregiē prosequitur lib. 11. de Trin. Sed, non minūs luculenter expressa censei debet æternitas Dei per Verbum *erat*, quod etiam adhibetur in textu citato. Verbum quippe *erat*, excludit omnes metas, & omnem antecessum. Quare aptissimē æternitatem plenē ipsi meratam designat, vt D. Augustinus sæpē expendit

Christus, etiam ut Deus homo. & u.

301 Ob hanc igitur causam, non nemo
locum propositum de Christo Deo & homi-
ne accipiendum negat, non tam aperte cha-
racteristicas diuinitatis præferat, essentiam
infinitam & æternitatem. Ita læ S. Ful-
gentius lib. 2. ad Trasim. cap. 5. ad Christi
æternitatem immeritam & indefectibilem,
Verbi diuini propriam, referens hunc titu-
lum, vt & Aretas Apocal. 1. Ad Christum
item qua Verbum, hunc titulum referens Cle-
ment. Alexand. c. 6. Strom. cum ait, [ipse Dominus
dictus est & a principio & his per quem
omnia facta sunt & sine ipso factum est ni-
hil.] Quominus tamen subscribam, facit
quod Deus qui Deus, non est venturus,
enim solius Christi Dei simul & hominis
proprium est. Et tamen is ipse & dicitur,
qui est venturus : hoc est Christus Et mani-
feste cap. 22. eiusdem libri, vbi titulus quæ
expendimus repetitur, Christo fit eius attri-
butio. Sic enim ibi habetur, *Eccē venis citi,
Ego sum & a primis & nouissimis, principium
& finis.* Et continuato orationis fili, mox
addit, *Ego Iesus.* Et ego sum gemi & radix
Dauid, quæ constat in Christum Deum simul
& hominem cadere. Itaque illa quoque quæ
habentur cap. 1. vbi hæc aliis adhibita ha-
bentur, æquæ Christo tribuo; quædam ratione
diuinæ naturæ, quædam ratione humanæ.

302 Fuit hic sensus priscorum Christianorum, qui alludentes ad hæc loca Apocalypseos, inscribere sepulchris suis aut aliis locis solebant, α & ω. Quod de Hispanis testatur Ambrosius Morales lib. 11. cap. 41. & refert ad fidei professionem, quam Catholici pado

pacto de Christo ederent contra Arrianos. Sed non placet. Nam Rufinus ad carmen 26. S. Paulini, varias notavit huiusmodi inscriptiones, tempus Arrianorum antecedentes. Ipsorumque Arrianorum referuntur inscriptiones eiusmodi, ut constantij à Gregorio 7. de cruce l. 1. c. 9. Longeque ante Arrianos, Basilidiani heretici, leguntur vsi hac veluti tessera ad Christianitatem profitemdam. Scribitque Rufinus loco allegato, extare apud Ducem Arsechotanum, numinum Basilidianorum, adscripto α & ω. Ionice scripto: pro α. De Marco item, quem Basilidianorum per Gallias Apostolum, imo Catholicæ fidei apostatam fuisse docet S. Hieronimus in epiphio Luerni Bæti, scribit latè S. Irenæus l. 1. contra hæres. c. 12. & 13. & Irenæum exscribens Epiphanius hæres. 34. cum hoc Christi nomenclaturæ, multas fabulas inuicasse. Breuiter Tertull. l. de præscript. c. 30. [Marcus quidam & Colarbasus, novam hæresim ex Græcorum Alphabeto componentes. Negant enim veritatem sine istis posse literis inueniri; immò contendunt solam plenitudinem & perfectionem veritatis, in istis literis esse dispositam. Propter hæc enim causam, Christum dixisse: Ego sum α & ω. Multa ibi ad huius fabulæ illustrationem congescit Pamelius. Itaque etiam extores à vera fide, pro symbolo Christianismi usurpabant α & ω, probe consij & in scripturis & ex vsu Ecclesiæ ac fidelium, iam olim duo hæc Græca elementa Christum designasse,

Num Christus α, quia quasi leprosus.

303. Quotum verò Christus Dominus per hæc duo elementa notatus sit, & quæ huius nomenclaturæ sub sit notio, variè opinio sunt sententiæ. Erit cui videatur, Christum α & ω dictum eodem sensu, quo Hellenus Byzantinus in Chrestomathia apud Photium Cod. 279. ait, Mosem α & ω vocatum, eo quod corpus haberet α & ω, id est virgine ac lepra maculatum, cuius rei lesum producebat Philonem. Sed mendaciter ut Photius ait, sed quid si Hellenus ille respexit ad lepram, qua manus Moyse ducta ē sinu, leprosa apparuit? Hoc autem fuisse egregium symbolum Christi Domini ē sinu patris ad nos delapsi & in nostra lepra ac paupertate conspicui, egregie sic docet S. Cyrillus de Incarnat. vnig. c. 15. [Manum & dexteram, Dei & Patris verbum, & filium eius, diuina Scriptura nominat. Induxit enim ipsum dicentem, ego manu mea firmavi celum. Necnon David diuinus cantat, Verbo Domini caeli firmati sunt. Cerne igitur in sinu quidem Moyse adhuc manum eius occultari, & nondum factam leprosam. Prolatam verò, & ita factam leprosam, factam: deinde mox illaram, & rursus prolaram, & de cætero non leprosam. Restituta est enim (inquit) in colorem carnis eius. Ergo quamdiu quidem erat in sinu Patris Deus Verbum, diuinitatis naturæ fulgebatur. Verum quoniam aliquo modo extraheretur per Incarnationem siue humanationem, factus est in similitudine carnis peccati

& inter iniquos reputatus est. Ait enim diuinus Paulus: *Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, ut nos fieremus iustitia Dei in ipso.* Hoc existimo lepra significari. Immundus enim secundum legem leprosus. Sed quoniam iterum fuerit in patris sinu; (assumptus est enim post resurrectionem à mortuis;) prolata iterum manus videretur munda. Adueniet enim, adueniet per tempora Dominus noster Iesus Christus in sinceritate diuinitatis & gloria, quamuis similitudinem nostram non proiecerit.]

304. Pulchrè item Petrus Damiani serm. de S. Columba, qui est numero 66. [Nec indignum (inquit) super Domino, saluatore nostro, infirmitatem vel stultitiam dici, cum etiam per leprosum, cum etiam per serpentem, non dedignatus sit mystice figuram. Vnde est quod Scriptura testante, dixit Deus Moyse; *Mitte manum in sinum tuum; qui cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis.* Retrahe, (ait) manum in sinum tuum. Retraxit & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ. Quid hoc loco, per manum Moyse designatur, nisi filius Dei? vnde dicitur in psalmo: *Fiat manus tua, ut saluet me.* Ac si diceret, fiat ille, per quem facta sunt omnia; ut dum ille creatur, creatura à roatus sui contagio liberetur. Hæc manus in sinu Patris est, sicut Ioannes Baptista dicit, *filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit.* Sed manus hæc cum de sinu prolata est; hoc est, cum per mysterium Incarnationis apparuit, peccatorem eum, & tanquam sceleris lepra perfusum, is vnde processerat populus æstimauit. Vnde dicit Esaias; *Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussim à Deo, & humiliatum.* Sed manus hæc cum in sinum rediit, lepram prorsus iammit; quia Redemptor noster postquam ad Patrem, calcato mortis imperio rediit, iam in fine sæculi, non peccator homo, sed verè Deus, & homo Iudæis omnibus apparebit.]

Sic igitur posset aliquis, de titulo Christi proposito, subtiliter commentari, idque plerisque nouitates aucupantibus, posset aridere. Quod tamen id à genuino sensu scripturarum planè abhorreat, alioqui erit qui similiter fabuletur Christum dici α & ω, eo quod Phœnices bouem lingua sua α & ω, nominant. Quam causam esse censet Ammonius apud Plutarchum l. 9. sympos. q. 3. cur. α & ω primum locum inter elementa literarum occuparit, quia id boui nomen, cur primas inter viles animantes, defert consensus populorum. At Christum factum causa nostri bouem, aut vitulum de armento, sæpè meditatur S. Gregorius, exponens quatuor animalia Ezechielii obiecta, sunt hæc piè excogitata, sed à scopo Scripturæ Christum α & ω denominantis, prorsus aliena, atque adeo dimittendi; præsertim cum oleo postremo elemento taceatur. Nec aliter statuo, de multis quæ circa has literas Christo tributas, acceruat Richardus à S. Laurentio lib. 12. de Deip.

Num α & ω , idem quod primus & nouissimus seu qui singulariter est?

An α & ω , prima & ultima natura rationalis?

305 Dimittendus item est Origenes tom. 5. in Ioan. ad illud in principio erat Verbum, ubi in longa explicatione nominum Christi, cum venit ad eum Christi titulum, primus est nouissimus, quamquam affirmat eum differre ab illo, α & ω ; tamen fatetur explicationem vnius conducere ad explicationem alterius, & multa omnino dicit de Christo primo & nouissimo, vel insigniter fabulosa, vel nimium mystica, quae apud eum legi poterunt: nam ad veram intelligentiam huius Christi tituli, commodare non possunt. Quod autem aliud esse α & ω , aliud primum & nouissimum, affirmat, dissidentem habet S. Isidorum l. 7. orig. c. 2. contendentem, in scripturis pro synonymis vocibus accipi tres illas coniugationes, α & ω , *primus & nouissimus, principium & finis*. Nec refert quod simul iungantur. Nam nihil in scriptura frequentius, quam ut eadem sententia sub diuersis vocibus congeminetur, esseque id genus ornamentum proprium sanctorum Prophetarum aduertit Beilarm. in Psal. 1. v. 1. & citra observationem, facile est id deprehendere, ex vulgatis illis versiculis, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*. Nec non ex illis, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*. Sexcenta huiusmodi passim occurrunt. Similiter ergo, idem sonant variae illae vocum hizeyiae, α & ω *primus & nouissimus, principium & finis*.

Hinc videtur aperiiri via, ad sensum illius Christi tituli α & ω . Nam Isaia 41. 44. & 48. & alibi, Deus ut se vnicum & solum verum Deum contestetur, extra quem non est alius, vocat se *primum & nouissimum*. Si igitur α & ω , idem est quod primus & nouissimus, videtur nos ab re pronūciaturi, idcirco Christum dici α & ω , quia singulariter est: Nullus enim praeter eum est naturalis filius. Ipse est verè Vnigenitus, & tanquam verus Apollo, ab omnibus aliis seceruitur. Non adaequatur ei aurum vel vitrum: & siue structuram, siue dotes superadditas, siue merita spectes, supergreditur omnem comparationem: ita ut quemadmodum de Deo propter supereminentem perfectionem rectè dicitur, *solum est* eo quod creata omnia per comparationem ad creatorem perinde se habeant ad esse, ac si non essent: ita in genere bonorum supernaturalium, pura omnes creaturae, quamuis verè iustae & sanctae, tamen perinde se habeant ac si non essent. Est enim (quod alia occasione superius vidimus), est inquam Christus, in ordine gratiae sol quidam, ignes minores praestinguens: non quod ignes non sint, destituanturque vera luce, sed quod praesente sole, tenuior eorum splendor, non internoscatur. Non est ea interpretatio tituli Christi propositi, planè aspernanda.

306 Video tamen alias passim vias iniri à Patribus & DD. S. Paulinus natale XI. sancti Felicis, cuius fragmenta representauit Dungalus l. de imag. ita hunc Christi titulum accepit, ut significetur per eum duae Christi naturae, prima & vltima inter ratione praeditas. Sic enim canit.

Alpha idem metrum Christus & ω , quae summo supremis

Finibus excelsi pariter complexu & imi

Vicior & inferna & pariter caestigia caput.

Non aliud fortassis voluit Orig. tomo il. Io V. in Ioann. tametsi verbis vltus est. Nimirum latebrosus, ut sonant errore non vacantibus. Aperte verò S. Augustinus in hac videtur esse sententia serm. 6. de temp. pro eodem enim habet, Christum esse α & ω , ac esse Deum & hominem. Sicut enim Alpha litteram nulla alia praecedat, ita ante Verbum Dei nihil est, etiamsi idem quatenus homo sit nouissimus & ω , ac minor patre. Et locus ille, & bona pars sermonis, verbatim continentur eo libro qui Faustis Episcopi nomine de ratione fidei, praenotatur. Adducit in eadem sententiam Epiphanius Sixtus Senensis l. 2. bibl. v. α & ω . Ait enim Epiphanius in Anchorato, existimare, titulum hunc Christi ad geminam eius naturam pertinere; idque ipsorum elementorum Graecorum figuris insinuari. A quod infernè patet & superne clausum est, naturam humanam & verò quod supernè aperitur, & infernè clauditur diuinum Verbum designat. Ego apud Epiphanius in Anchorato, id non reperi. Et aliter quoque eas litteras ad geminam Christi naturam enunciandam aptat Perer. in c. 1. Apocal. Habet hic quoque sensus tituli propositi, suam verisimilitudinem.

Num α & ω , fundamentum & vertex structurae Ecclesiae.

307 Non improbabiler alij, petinde esse censent, dicere Christum α & ω primum ac nouissimum, principium & finem; ac dicere, Christum esse iniciatorem & consummatorem felicitatis Ecclesiae, & sanctificationis ac glorificationis nostrae. Frequens enim in Scripturis est, ut abstracta pro concretis usurpentur. Quae ratione Paulus, Christum saepe nominat iustitiam & sapientiam nostram: quia scilicet nobis est auctor iustitiae & sapientiae. Similiter ergo Christus, quia est auctor & consummator fidei ac totius Ecclesiasticae structurae, omniumque bonorum ad eam consequentiam; merito dicitur principium & finis, α & ω ; id est eius initiator & auctor ac consummator. Reliquae concinunt is sensus, cum locis quibus hic Christi titulus, alii quoque quos & synonymos diximus, usurpati leguntur. Nimirum iis locis adhibiti sunt, quibus addendus erat angelus, ne difficultatum mole optelli, despon

desponderent animos. Sic cap. 1. Apocal. *noli timere, ego sum primus & novissimus*. Et cap. 2. *Hac dicit primus & novissimus, nihil horum timetis*. Ad excutiendum ergo timorem, maxime iuvare poterat commemoratio huius attributi Christi Domini, & quod qui cepit ipse perficiet.

Non multum ab hoc sensu abest, quod ait Arias Montanus in cap. 4. Zach. nempe Christum dici *α & ω*, quia est in Ecclesia decus & perfectio ac consummatio rerum omnium. Eoque revolvitur quod habet S. Ambrosius lib. 1. Hexaem. cap. 4. agens de multiplici acceptione principij. [Est etiam (inquit) initium mysticum, ut illud est: *Ego sum primus & novissimus, principium & finis*. Et illud in Evangelio præcipue, quod interrogatus Dominus, quis esset, respondit; *Principium quod & liquor vobis*. Qui verè & secundum divinitatem est principium omnium, quia nemo ante ipsum; & finis quia nemo ultra ipsum; & secundum Salomonem, initium est viarum Domini in opera eius, ut per ipsum disceret hominum genus, vias Domini sequi, & operari opera Dei. In hoc ergo principio, id est in Christo, fecit Deus cælum & terram, quia per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil; quod factum est in ipso vita erat, quia in ipso constant omnia.]

Idcirco α & ω Christus, quia prævenit & perficit studia nostra.

308. Alia ratione, esse principium & finem, atque adeo esse *α & ω*, Christo tributum, exponit S. Bernardus ex quo hac deflo-
tauit qui eius flores iam olim collegit lib. 5. cap. 20. ex quibusdam (ut ait) dictis eius. [Initium meum solius gratiæ est, ut nihil quidem mihi in prædestinatione attribuiam, sine in vocatione. Non sic sanè ab opere iustificationis alienus sum. Operatur & illud gratia, sed planè mecum. Porro consummatio quidem, & ipsa solius est gratiæ; nec est mihi in hac parte, vel cum ea siue in ea gloriari, quasi coadiutor sim aut cooperator. Itaque misericordia Domini ab æterno est, & usque in æternum super electos: in medio quidem aliquatenus ostendens liberum arbitrium meriti gratia; principium verò & finem, soli vendicans sibi, ut sit nobis *α & ω* Dominus Deus noster.] Eandem doctrinam tradit ad finem tractatus de gratia & libero arbitrio, iuxta quam Christus dicitur *α*, quia nos prævenit per gratiam suam, & *ω* quia dat perficere. Nos excitati & adiuti, tantillum quid quasi intermedium confecimus: nempe consensum liberum, quod ut conferremus constitutum est, ne inanes meriti essemus. Magnæ profecto consolationis est, considerare quomodo Christus sit hoc modo in nostris supernaturalibus actibus principium & finis; quomodo inquam gratia Christi, interueniente illo exili quod de nostro post præventionem adiuti conferimus, ad remunerationem aptos nos faciat. Quantum certè ex nostro est, perinde videmur nos habere ac Valgius ille naufragus, exinde dictus *Victor* apud S. Paulinum epistola 36. qui vocatus à

Domino, porrigere tantum specie agendi, manum ad quamlibet operam iubebatur. In illa enim trium & viginti dierum intra navem rectoribus & operis omnibus destitutam à Sardinia ad Lucaniam agitatione; Dominus ita pro senis salute navem moderabatur, ut tamen eum aliquid de suo exhibere velleret; sed tam tenue, ut quod præstabat, imago potius & species actionis, quam actio esset. Mira fides (inquit S. Paulinus,) & ineffabilis pietas Domini Salvatoris, qui senem, si fortè somno piger, lentius ad gerenda confurgeret, & molli manu antè præpalpans, nè trepidus expergeret, vellicata blandè auricula suscitavit, cum leniter adnans senex, à primo statim conatu suo, manibus Angelicis res effectas videret. Vix rudentem quali ducturus attingerat, cum velum videret iam exsinuatum in cantos suos: Supparum stabat, vela navis faciebat. Aqua timis navis accepta mergere tentaverat: & post vnum vel alterum brevis sentinaculi haurtum, humore distracto, siccatæque navis quod ageret non habebat; stupens laborem sibi sine labore præcipi, & actum suum occulta manu præveniri, si benè occulta dicitur, quæ tam perspicuum præstabat auxilium. [Quod per se & Angelos, in corporali illo opere, ad temporalem vilis illius capitis salutem præstabat Christus, hoc circa salutem nostram ille facit: estque proinde *α & ω*.

An Christus α & ω, quia per eum reuenitur ad initium.

309. Iniuit alium interpretationis callem S. Hieronymus lib. 1. in Ioviniam, existimans sensum esse, omnia per Christum reuenire, & reduci ad statum primum quo ab initio fuerant. Nam in prima mundi origine, neque vigeat circumcisio, neque polygamia, neque repudium, nec ullum aliud ex iis quæ Christus abrogavit, ut omnia reuocaret ad primum statum: ita ut quemadmodum decurso alphabeto cum venitur ad *ω*, recurrendum est in *α*; ut suppetant literæ quæ decurri denud possint sic cum ad Christum deuentum est, factus sit regressus ad primum initium. Ipse Hieronymus sic hoc exponit. [Docet Apostolus scribens ad Ephesios, Deum proposuisse in adimplerione temporum, recapitulare omnia, & ad principium retrahere in Christum Iesum quæ sunt super cælum, & super terram. Vnde & ipse Saluator in Apocalypsi Ioannis, *Ego sum*, (inquit,) *α & ω, initium & finis*. Ab exordio conditionis humanæ, nec carnibus vescibamur; nec dabamus repudium; nec præputia nobis eripiebantur in signum. Hoc cursu usque ad diluvium peruenimus. Post diluvium autem cum datione legis, quam implere nullus potuit, carnes ingessæ sunt ad vescendum, & repudia concessa duritiæ; & cultellus circumcisionis appositus, quasi Dei manus plus in nobis creauerit, quam necesse est. Postquam autem Christus venit in fine temporum, & *ω* reuoluit ad *α*, & extremitatem retraxit ad principium, nec repudium nobis dare permittitur, nec circumcidimur, nec comedimus carnes, dicente

S. 2 Apolto

Apostolo; Bonum est vinum non bibere, & carnes non comedere.]

Liquet, Hieronymum ex Tertulliano profecisse, cuius illa sunt in hanc rem præclare & prop. more robuste scripta lib. de Monog. cap. 5. [Inuenimus nos ad initium dirigi à Christo: sicut in quaestione repudij, dicens illud propter diuitiam ipsorum, à Moyse esse permissum, ab initio autem non ita fuisse, sine dubio ad initium reuocat matrimonij indiuiduitatem. Ideoque quos Deus ab initio coniunxit in vnam carnem duos, hodie homo non separabit. Dicit & Apostolus scribens ad Ephesios: Deum proposuisse in semetipso ad dispensationem adimpletionis temporum, ad caput id est ad initium recipere vniuersa in Christo, quæ sunt super cælos, & super terras in ipso. Sic & duas Gratiæ litteras, summam & vltimam sibi induit Dominus, initij & finis concurrentium in se figurarum: ut quemadmodum à ad α vsque voluitur, & rursus α ad α replicatur; ita, ut ostenderet in se esse, & initij deorsum ad finem, & finis recursum ad initium; ut omnis dispositio in eum definens per quem capta est, per sermonem scilicet Dei qui caro factus est, proinde definat quemadmodum & cepit. Et adeo in Christo omnia reuocantur ad initium; ut & fides reuerfa sit à circumfusione ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit; & libertas ciborum & sanguinis solus abstinentia, sicut ab initio fuit, & matrimonij indiuiduitas, sicut ab initio fuit, & repudij cohibitio, quod ab initio non fuit: & postremo totus homo in paradysum reuocatur, ubi ab initio fuit.]

Num Christus α & ω, quia est scopus Scripturæ ab initio ad finem.

310 Nec inuenisimiliter Vincentius de Flumaro lib. de nom. Christi, cum de Deo primum qua Deus est, exposuisset: hos titulos, quos eodem recidere recte arbitratur, α & ω, primus & nouissimus, principium & finis, mutato consilio eos ad Christum refert, & sensum esse existimat, Christum esse totius Scripturæ (ut in scholis loquuntur) subiectum adequatum. Nam totum vetus testamentum, ad Christi adumbrationem, vel promissionem dirigitur. Non verò testamenti vniuersa series, in Christo consumitur. Itaque est Christus α & ω: Id est & primæ & nouissimæ, & vno Verbo vniuersæ Scripturæ scopus, initiumque & finis sermonum, quos vel Prophetæ, vel Apostoli diuinitus inspirati edidere. Perpulchrè S. Gaudentius tract. 2. in Exod. carnes Agni neque crudas neque elixas comedi iussas interpretatus Scripturas interpretatione ignea à feruenti diuinæ sapientiæ spiritu veluti affatas & tostas, ait; (Omne corpus diuinæ Scripturæ tam veteris quam noui Testamenti, Filium Dei continet, vel venturum promittens in hominem, vel iam venisse declarans. Vnde B. Philippus inuentus à Christo, inuenit Nathanaël, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege & Prophetis, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Et quid plura charissimi? In ipso continetur omnis lex & vetus & noua; & ut sic dixerim,

ipse est anima legis. Ipse enim per Moysen locutus est cum dixit illi, Ego aperiam ei tuum, & inspirabo quæ debeas loqui. Ipse & per Prophetas cum dicit, qui loquebar in Prophetis ecce adsum. Ipse etiam per Apostolos, cum dicit Paulus, an experimentum queritis eius qui in me loquitur Christus. Scriptura ergo à capite ad calcem, Christum spirat, Christum continet, Christum ubique loquitur, quod est, Christum esse scripturæ α & ω. Illustrant hanc interpretationem Hieronymus Prado, commentatio Isagogico in Ezech. sect. 2. qui tota sectione illud contendit, Christum esse scopum Prophetarum, & finem in quem lex vniuersa ab initio ad finem dirigitur. Eoque aptat illud Ecclesiastici 43. v. 28. propter ipsam confirmatus est iuuenis finis, & in sermone eius composita sunt omnia &c. confirmatio sermonum ipse est in omnibus. Confirmatum esse in eo itineris finem, idem est, ac si dixisset, omnia quæ facta sunt temporum successu, definita in eum, sortiuntur felicem euentum. Et ut semel omnia quæ dicenda erant, vno verbo concludantur, ipse est in omnibus consummatio sermonum: id est caput, summa, & initium omnium, quæ vel per Prophetas & quoscunque ipso anteriores, vel per Apostolos sunt annunciata. Hoc quod de Christo dixit Siracides, (nam paulo ante dixerat, & plantauit illum Dominus Iesus,) idem esse censet Pradus, ac illud quod de Christo nunc versamus, Christus est α & ω, principium & finis. Et eodem modo hunc titulum accepit Iosephus à Costa lib. 1. de Christo reuelato c. 1. ex eo probans, Christum esse scopum vniuersæ Scripturæ.

Germanissima notio α & ω, Christo tributi, quia est principium & finis omnium.

311 Dicantur sanè hæc omnia non improbabiler. Sensus tamen quem alij & Patres & Doctores suggerunt videtur genuinus. Nimirum sicut varij apud Photium Cod. 190. in breuiculo libri. Si à variis literis sunt denominati, ratione ordinis quem in Alphabeto occupat litera, aut alicuius per eam integrè prolatam vel figuratam expressi, quæ ratione S. Pachomius apud Sozomenum l. 3. cap. 13. vocabat ἑταίροις, sic idcirco Christum Deum & hominem, dici α & ω, quia est principium & finis omnium creatorum. Audi Prudentium hymno 9. Cathemer. de Deo cominus docendis prodito mortalibus, siue de Christo;

*Corde natus ex parentis
Ante mundi exordium,
Α & Ω cognominatur,
Ipse fons & clausula
Omnium quæ sunt fuerunt
Quæque post futura sunt.*

En Christum, fontem & clausulam rerum omnium. Nec agit de Christo præcisè ut Deo, sed de eo, prout Deo simul & homine. Nam is est, qui ad docendos cominus mortales pro-

dictus est, ut immediatè ante præmiserat Christus itaq; ex duplici natura cõpactus, est α & ω , id est principium & finis rerum omnium Principium quidem ut causa efficiens, finis vero per modum scopi ac termini subalter- ni, in quem collimant creata omnia. Quam- quam ratio quidem principij efficientis, non dicitur de Christo homine, nisi per commu- nicationem idiomatum. Quo eodem dumtaxat modo, enunciat de eo potest, quod sic finis simpliciter ultimus rerum omnium: nisi si ratio finis ultimi, spectetur cum subalter- natione, id est prout continet directionem omnium aliorum ad ipsum, non exclusã eius vltiore directione ad Deum. Sic enim Chri- stus homo, non modo per idiomatum com- municationem, sed formaliter & directè, est finis ultimus creatorum omnium. Vnde iun- ctis duabus illis perfectionibus quas Chri- stus alterutro ex prædictis modis habet, rectè dicitur α & ω , principium & finis. Appro- bant hanc notionem huius tituli Christi, re- centiores non pauci, & nominatim Sixtus Senensis l. 2. bibl. initio, ac Bellarm. l. 1. de Christo c. 4. in fine.

312 Iuxta hanc notionem, Christus ratione diuinæ naturæ, vtramque prærogati- uam binis illis terminalibus elementis ex- pressam obtinet. Est enim secundum diui- nam naturam, & causa efficiens & finalis rerum omnium: ratione autem naturæ huma- næ formaliter rem spectando, non est nisi fi- nis omnium: atque adeo non nisi ω . Voluisse hoc videtur Clem. Alexan. 4. Strom. verbis illis: Deus quidem cum demonstrari nequeat non efficit scientiam: filius est & sapientia & scientia, & veritas, & quæcumque cum his vllam habent cognationem. Quin etiam habet demonstrationem & viam rationandi. Omnes autem spiritus potestates, cum si- mul res vna factæ fuerint, ad idem confe- runt: nempe ad filium. Est autem indefinitus vnaquæque suarum potestatum notione. Quamquam non sit vere vnum ut vnum, neque multa ut partes filius, sed ut omnia vnum, vnde etiam omnia. Est enim idem cir- culus omnium potestatum, quæ in vnum circumsoluuntur & vniuntur. Et ideo Ver- bum dictum est α & ω , cuius solius finis sit principium; & rursus desinit in id quod est desuper principium, nusquam distantiam accipiens & dimensionem. Quamobrem & in ipsum, & per ipsum credere, est vnicum bene scilicet in ipso indiuisibile vnitum.]

Nec refragatur Origenes hom. 12. in Num. ubi Christum, putem præfatus, exponit ex eo verba illa, *initiate ei putem*: sic verò ait [Hic est sensus. Initium (ait) omnium putem ponit. Sicut & Apostolus dicit; Quia ipse est principium, & primogenitum omni Creatura, & in ipso Creatæ sunt omnia. Initiate ergo ei pu- tem, hoc est, initium omnium confitemini esse putem.] Hæc inquam non absunt præ- dictis. Nam Origenes ibi statuit Christum initium omnium effectuum, dumtaxat quoad dona supernaturalia, quæ nobis est promeritis, ut liquet ex proximè antecede- ntibus.

Atteximus hic etiam Philippus Abbas in

moralit. in Can. quærens cur spiritus sanctus librum Canticorum voluerit initium habere à litera O. Sacramentum (inquit) huic lite- ræ quæ est O, quantæ sit auctoritatis, & di- gnitatis, ipse dignatus est ostendere, qui eius- dem literæ nomen sibi imposuit, dicens: [Ego sum α & ω] id est principium & finis. Principium, (inquit), sum dans principia ex- stendi omnibus creaturis. Finis sum, id est consummatio; quia omnibus hominibus de- ficientibus, solus remaneo, quoniam ego sum Deus, & mutabilitati nequaquam sub- iaceo; vnde Iacobus Apostolus ait: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis ob- umbratio.* Quod autem Christus finis sit, id est consummatio, Paulus manifestat, cum di- cit: *Finis legis Christus, ad iustitiam omni cre- denti.* Denique si sacramentum huius literæ, quæ est O, adhuc subtilius indagare volue- rimus, in nulla alia litera tantam figuram, non solum totius orbis, verum etiam ipsius Dei reperiemus. Ex omni enim parte sui ro- tunda & perfecta inuenitur; sicut orbis hu- ius sæculi à Philosophis in modum spheræ rotundus describitur. Præterea si secundum Græca elementa attentius inspicimus istam litteram ω , proculdubio inuenimus eam esse trimembrem, id est tria membra habentem. Quid igitur designant tria membra in vnam ω litteram sursum respicientia, nisi tres per- sonas in vnius summæ Trinitatis substan- tia? Non ergo casu, sed certo diuinitatis my- sterio, spiritus Sanctus, exordium huius li- bri ab ω littera inchoat, quia illum liber iste per omnem textum sui prædicat, qui totum orbem de nihilo creauit, & seipsum vnam esse in Trinitate personam, in Euangelio de- clarat, dicens: *Ego & pater vnum sumus.* Tria igitur ω Litteræ membra in cælum respi- cientia, tres personas (ut prædiximus) decla- rant in vna Trinitatis substantia. Et bene eiusdem literæ membra sursum aspiciunt, & quasi de cælo venientia deorsum litte- ram vnam faciunt, quia cognitio Sanctæ Trinitatis per Dominum Iesum ad nos de- scendit, & in vnam sanctam Ecclesiam Ca- tholicam, per fidei vnitatem, sedem sibi col- locauit.]

Potest α & ω , solam finalem causam sig-
nare. Eius Christo tribuenda, ra-
tiones variae

313 Quid si tamen vtrumque elemen- tum Græcum, ad eandem causam finalem quis referat, & Christum pronunciet esse α & ω , seposita causa efficiente, tantum quia est finis rerum omnium? Sanè causa finalis, non malè dici potest α & principium. Nam finis est semper primus in intentione, & à Philosophis numeratur prima causa, quia est primum quod mouet ad operandum. Et quia est postremum in executione aut asse- cutione, habet etiam rationem extremi. Vnde rectè dici potest primus & nouissimus, principium & finis α & ω . Ut ut sit, & siue genuinus sensus huius attributi Christi in scripturis quibus proponitur, vtramque il-

lum rerum omnium causam Christo vendicet, siue solam finalem; nos hic in ea sola habebimus, quia sola ad modum superius explicatum habet locum in Christo homine, qui est huius tractationis scopus. Esse autem causam effectiuam rerum omnium, non competit Christo nisi nudè propter Deo: quia Christus homo non erat plurimis sæculis ab initio orbis, ad eius usque aduentum; unde quæcunque illuc usque sunt facta, non potuerunt ab eo efficienter pendere. Itidemque ex quo fuit, certum est, non esse inuehendum physicam rerum creaturarum dependentiam ab illo. Contendo tamen valere de finali, etiam quoad res eum tempore antegressas, vel comitatas, aut subsecutas, vel subsecutas, in tota æternitate. Quod est, Christum esse finem secundum Deum, siue sub Deo, simpliciter dicta.

Finem cum audis dici Christum, nolim id accipias eo modo quo apud S. Ambrosium, Christum finis appellatur serm. 12. in psalm. 8. v. 8. Aperit eo loco latinam notionem Græcæ vocis τέλος, quam ait & finem & consummationem sonare, imo etiam finem consummationis. Et cum multiplex sit consummatio, (dicitur enim consummatio operis, & consummatio malitiæ, & consummatio hominis, & consummatio sæculi) finis autem consummationem quoque terminet, ut habetur ex Apostolo 1. Cor. 15. qui post sæculi consummationem, ait subiungendum ei fore finem sæculi; omnium æque aliarum consummationum, assignari finis potest. Hunc Christum esse, sic exponit ibi S. Ambrosius. [Mundus in maligno positus est, ut dixit Ioannes. Ergo & sæculum in maligno est. Mundus plenus peccati. Consummauerat malitiam suam mundus, sicut consummauerat Saut; cuius videns consummatam malitiam Ionathas filius in David prophetam, eidem nunciavit ut declinaret & fugeret. Est ergo consummatio malitiæ, consummatio peccatorum. Venit agnus Dei qui tollit peccata mundi, qui est Christus Iesus. Finis legis, principium & finis, & remissio peccatorum. Hunc finem consummationis, vidit Propheta in Spiritu, qui consummatum sæculi aboleret errorem; vidit sanguine eius diversa omnium peccata mundari. Bene ergo dixit, *Omnis consummationis vidi finem*: hoc est, vidi consummati adulterij remissorem; vidi consummatæ luxuriæ atque lasciuie, consummatæ crudelitatis atque sanguinis, omnis postremo flagitij per crucem suam delicta donantem. Est etiam consummata virtus, consummata sapientia, consummata iustitia, sed habet finem. Finis omnium virtutum Christus, qui finis est legis ad iustitiam omni credenti. Vides quia finis est fidei? Bene ergo ait, *omnis consummationis vidi finem*.]

Hæc ratio Christum denominandi finem, vera & legitima est: sed non est ea quam quaerimus. Quod item dico, de illa alia duplici quam his verbis subministrat S. Gregorius, in præfatione ad psalmum primum penitentialem. [Christus finis dicitur, vel quia est consummatio legis & Prophetarum; sicut ipse pendens in cruce testatus est, cum aceto &

felle potatus, dixit; *consummatum est*. Vel quia bonorum omnium perfectio est, quia nullum bonum perficitur, nisi quod in summo bono solidatur. Sicut enim nobis non sufficit alios bonos quaerere nisi ad eius studeamus agnitionem peruenire, ita eo inuenito, nullus tam melior quaeritur: Quia omnis creatura, eo sub cuius pedibus à Patre omnia sunt subiecta, inferior inuenitur.] Denique si militèr admitto, veram esse, sed ab hoc loco extraneam pronuncio, eam rationem Christum denominandi finem, quam suggerit S. Fulgentius l. 2. ad Trasim. cap. 5. verbis illis, [Finis Christus, quia perpetuus vniuersa concludit, finis Christus, quia ipse perficit inchoata. Finis Christus, quoniam ab ipso habent quædam, (videtur legendum *quæcunque*), esse coeperunt ut semper sint.

Modus proprius, quo Christus omnium creaturarum vera finalis causa, statuitur.

314 Modus quo Christum finem rerum omnium dictum volo, est ille vulgaris & per se obuius, quo finalizatio ut in scholis loquimur, & pectectio agentis ad efficiendum, alicui tribuitur. Et talem contendit esse Christum, respectu quoruncunque creatorum. Eoque sensu discretè & citra ambages Rupertus lib. 3. de glor. Trin. & procell. Spiritus sancti cap. 20. Christum rerum omnium creaturarum finem constituit. Quod probare in primis licet, ex eo quod psalmo 8. David opera manuum Dei, omnes, boues, & cætera vili-bilia vniuersa, subiecta homini tradit: non quidem quod omnia corporea & visibilia sub sint hominis dominio, (quid enim iuris homini in cælos & sydera?) sed quod omnia in hominem tanquam in finem referantur. Quod à Christianis antiquis ex eo psalmis loco similibusque scripturis iactatum, bilem concinit Cello hosti Christianorum, ut Origenes refert lib. contra eum 4. [Nobis aiebant Christiani, omnia subiecta sunt; terra, aqua, aer, astra, omnia propter nos creata, ut nobis seruiant.] En in quo preisci Christiani statuerent illam omnium ad hominem subiectionem à Dauide traditam. In ordinatione inquam omnium visibilium ad hominem tanquam ad finem, quam ordinationem, Origenes eo libro fusè confirmat, etiam si subiectio ad dominium videatur apertè falsa quod cælos & sydera. Atqui certum est, si ille psalmus non est de solo Christo, ut fert nonnullorum sententia, tamen quæ de homine iuxta literam eo psalmo 8. dicuntur pertinere ad Christum vel secundum alium sensum æquè literalem, iuxta placitum quod eandem literam duobus sensibus literalibus disparatis scetam agnoscat; vel saltem secundum sensum allegoricum à Spiritu sancto intentum. Ita enim apertè habet Apostolos 1. Cor. 15. & Hebr. 2. exponens de Christo, subiectionem illam operum Dei, quam psalmes simpliciter homini tribuit. Igitur ea subiectio quæ operibus manuum Dei tribuitur respectu hominis, qua videlicet sunt propter ipsum, tribuenda

buenda est similiter Christo, in eo altiore & profundiore sensu in quo locus ille, de Spiritu sancti mente, ab Apostolo Christo est accommodatus. Quamvis enim idemmet locus pro Christum respicit, aliam præterea subiectionem ferat quam finalem solam; tamen ut sensus allegoricus literali per se, obvio respondeat, non potest illam subiectionem excludere, quam cortex literæ omnibus visibilibus respectu hominis tribuit. Atque ita necesse est fieri, visibilia omnia Christum tanquam finem respicere, & in scopum illum collimare. Quod si id habent visibilia respectu Christi, dubitare non licet, quin idem sit de invisibilibus statuendum. Nam quæcunque ratio afferatur confirmans quod Apostolos Christo tribuit quod visibilia, æquè militabit pro invisibilibus; & præcellentia quæ homini debeat, nec sinebat quod de visibilibus ad ipsum ordinatis affirmatur ad invisibilia extendi, non deest Christo respectu quorumcunque invisibilium: quia licet Christus paulominus ab Angelis minoratus sit, spectando solam humanitatem secundum sola naturalia principia & ornamenta, tamen compositum ex ea humanitate compactum, infinites supergreditur quascunque supernaturales substantias.

Ordinis gratia, finis Christus, ac proinde etiam ordinis natura.

315 Alia probatio veritatis propositæ, seu quod omnia creata ordinentur ad Christum tanquam ad finem, ex eo ducenda est, quod sine ulla dubitatione, totus ordo gratiarum ordinatur ad Christi gloriam, atque adeo ad Christum tanquam ad finem. Hoc ut perspicatur, statuendum est ex Tridentino sess. 6. cap. 7. Christi gloriam, esse finem subordinatam & non ultimatum, gratiæ & iustificationis nostræ. Quod quamvis initio, plerisque Tridenti congregatis Doctoribus, creditum difficile videretur, tamen pluribus & Doctoribus probatum est; tandemque communi Patrum consensu firmatum, ut testatur qui aderat Andreas Vega lib. 7. in Conc. cap. 20. multa proferens ad huius veritatis stabilitionem. Sed illud maxime eam confirmat, quod Apostolus Ephes. 1. ait, fideles fuisse in Christo signatos in laudem gloriæ ipsius. Illud enim in sonat causalitatem finalem; ut Ecclesiastici 13. cum dicitur *invoce Deum in salutem tuam*. Sensus est, *propter salutem tuam*. Similiterque cum dicitur *ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia*, illud in ipso sonat causalitatem finis, & idem valet, ac *propter ipsum*, ut notavit Origenes lib. 6. contra Celsum. Credentes igitur signari, seu iustos fieri, in laudem gloriæ, hoc est in gloriosam laudem Christi; idem est quod propter Christi laudem & gloriam esse iustificatos, tanquam propter finem non ultimatum, siue subordinatum gloriæ Dei, quæ est omnino ultimus finis nulli subiunctus. Et sanè ut ibi Hilarius Diaconus, gloria est Medici si multos curet. Æquè igitur gloria est Christi medici nostri, quod nos spiritaliter sanet, & ab intentionibus nostris eripiat.

Nec tantum hæc gloria Christi resultat de curatione nostra, sed etiam intenditur à Deo. Quia eo ipso quod Deus Christi humanitatem sibi coniunxit, personaliter, ut esset hominibus fons gratiæ & gloriæ æternæ, congruentissimum fuit intendi à Deo, ut Christus quem communicandæ gratiæ & gloriæ participem faciebat, particeps item fieret resultantis inde honoris & laudis. Idque plane fecerunt pleræque scripturæ, quibus insinuat quantopere Deus honorem & gloriam Christi curæ habeat. Sic Ioannis 5. dicitur, *Patrem omne iudicium filio dedisse*, (& quidem quia filius hominis est) *ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem*. Eam quoque ob causam 2. cor. 4. Apostolus, prædicationem suam vocat *Evangelium gloriæ Christi*. Quod si nos honestè intendimus Christi gloriam, tanquam capitis & Regis nostri, multo magis Deus censendus est eam gloriam intendere, quippe primus autor cuiusque nostri actus boni, quem elicere non possumus nisi dum ipse nobiscum efficeret & intenderet. Itaque gratia novi Testamenti, Christum spectat tanquam finem quod D. Augustinus pulchrè dixit tract. 55. in Ioan. ad illud, *in finem dilexit eos*. Sic enim scribit, [Quid est in finem, nisi in Christum. Finis enim legis Christus, (ait Apostolus,) ad iustitiam omni credenti. Finis perficiens, non interficiens: finis quoque eamus, non ubi pereamus. Sic omnino intelligendum est, *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Ipse est finis noster, in illum est transitus noster: Nam video posse ista verba Evangelica, quodam humano modo etiam sic accipi, tanquam usque ad mortem Christum dilexerit suos, ut hoc videatur esse, *in finem dilexit eos*. Humana est sententia, non divina. Neque enim nos hucusque ille dilexit, qui semper & sine fine nos diligit. Absit ut dilectionem morte finiret, qui non est in morte finitus.]

316 Quod si sanctificatio nostra, quia Christum habet autorem, refertur à Deo in Christi gloriam, tanquam in finem non ultimum, æquè eodem referenda est sanctificatio antiquorum. Nam omnes de Christi plenitudine acceperunt, & nemini stilla unquam gratiæ obtigit, nisi per Christum, eò modo quem exponemus agentes de Christo capite. Vnde quia ceremoniæ omnes antiquæ, & præcepta omnia legalia, ordinabantur ad hominis sanctificationem; non quidem conferendam, (quod non poterant,) sed adumbrandam aut quoquomodo promouendam, excitando hominem ad actus quibus iustitiam fidei compararent: factum est, ut sicut sanctificatio ipsa ad Christum referebatur, ita & omnia eam quoquomodo spectantia, æquè referrentur in Christum: qui idcirco ab Apostolo dictus est, *finis legis* Rom. 10. non quod legem soluerit, sed quod adimpleverit, & ad eum tota lex sit directæ, iuxta illud S. Hilarij lib. 1. de Trinit. [Si legem Christus, qui finis eius est, non dissolvit, sed adimplet, secundum quod ait: *Non veni legem solvere, sed implere*: finis non defectio est, sed consummata perfectio. Tendunt enim ad finem omnia: non ut non sint, sed ut in eo ad quod tetenderant, maneat.]

maneat. Eodem sensu Apostolus 1. corinth. 10. dies legis gratiæ in quibus Christus, vocat *finis seculorum*, quia ut ibi tradit Caietanus, anteriora omnia secula in hunc finem collimant. Hicque est finis, de quo ut ex Hebræis tradit Lyranus Ecclesiastici 36. dicitur, *festina tempus, & memento finis, & enarrent mirabilia tua*. Ad eundem finem respexit Davidem psal. 38. cum dixit, *notum fac mihi Domine finem meum*, affirmat S. Ambrosius in eum locum. Ac ne longius ab eam, S. Hilarius ad titulum psalmi 54. S. Hieronymus & Theodoretus, ac ex recentioribus Genebrardus, adducens Rabbi Davidem Kimhi, de Christo accipiunt illum psalmis sex supra quinquaginta adscriptum titulum, *in finem*. Insigniter idem tradit S. Augustinus ad titulum psalmi 55. Et quanquam non me later, S. Hilarium ad titulum psalmi 52. *in finem* in psalmorum titulis, exponere de statu æternitatis post seculorum metam; Nyssemum verò tract. 2. in titulos psalmorum cap. 2. exponere de beatitudine homini proposita in laborum præmium; Alios denique aliter eam inscriptionem exponere, de qua varietate videtis Alcazarium in cap. 1. Apocal. v. 8. notat. 8. Tamen pleræque aliorum expositiones, in istam reuoluuntur. Omnia hæc illud efficiunt, totum verus Testamentum, & gratiam vniuersam antiquorum, quo referebatur omnis ille legis & rituum præscriptorum apparatus, Christum tanquam finem spectasse.

317 Liquet igitur, & nouum & verus Testamentum, atque aded gratiam in quam utrumque dirigitur, pro fine habere Christum. Quod S. Gregorius hom. 16. in Ezech. perpulchrè expresse docet, verbis illis Prophetæ, & *cubitus vnus, finis utrumque* Glossa S. Gregorij est. [Vtrotumque dicitur, ac si dicatur utrumque. Per latitudinem quippe liminis, & longitudinem portæ, verus ac nouum Testamentum diximus designari. Ad extremum verò additur, quod cubitus vnus sit finis utrorumque, quia videlicet & Testamentum vetus, vnum nobis mediatorem Dei & hominum nunciauit; & Testamentum nouum, eundem nobis nunciat in æterna claritate venturum, quem iam pro nobis cognouimus incarnatum. Cubitus ergo vnus utrorumque est, quia & quem lex prædixit, in carne apparuit; & ipse quem nunc Testamentum nouum loquitur, in gloria maiestatis apparebit. Et tunc utrorumque finis erit, cum visus in diuinitatis suæ potentia, omnia quæ sunt prædicta compleuerit. Scriptam namque est; *Finis legis Christus, ad iustitiam omnia credenti*. Finis videlicet, non qui consumit, sed qui perficit. Tunc etenim legem perfecit, cum sicut lex prædixerat, incarnatus apparuit. Sed adhuc de eius iudicio multa nouum Testamentum loquitur; adhuc multa de regno illius narrat, quæ nec dum videmus impleta. Ecce quotidie Euangelium legitur, ventura prædicantur. Tunc ergo erit & noui Testamenti finis, cum & quæ de se promisit, compleuerit. Finietur verò Testamentum nouum, quia perficietur. Cum igitur id vnde desumitur vniuersiusque rei perfectio, sit eius finis, fatendum omnino est, duo Testa-

menta, (quandoquidem in Christo sortitur perfectionem suam, & consequenter gratiam, ad quam proximè ordinantur;) spectare Christum tanquam finem. Quod est dicere, totum ordinem gratiæ puris hominibus collatæ, in Christum tanquam in finem tendere.

Concluditur, firmaturque proposita argumentatio de Christo sine proprio rerum omnium.

318 Hinc eruenda est secunda illa probatio, qua confirmandum assumpseram, Christum esse finem rerum omnium creaturarum. Nam ordo gratiæ est superior ordine naturæ, longèque eminentior, ut per se notum est. Nec tantum est eminentior quomodoconuenit propterea habet Angelus ad hominem, sed etiam cum subordinatione. Verè enim toties ordo naturæ subternitur ordini gratiæ, cumque pro fine habet. Indeque oritur habet subiectio terrenorum ac temporalium, ad cœlestia & spiritalia, cum debitus ordo retinetur. Quia igitur totus ordo gratiæ puris hominibus collatæ, Christum spectat vti nem suum proximum; multo magis ordo naturæ, qui ordinem gratiæ proximè spectat, ad Christum quoque, ut finis sui proximi finem, referetur.

Video, hanc rationem propterea proposita est, non vrigere nisi pro ordine naturæ corporeæ, qui hominem habet pro fine proximo; tantumque probare & hominem & omnia vilius propter hominem condita, habere Christum pro fine; de cæteris tamen rebus naturalibus, id non probare. Nam ordo naturæ ad quem spectant Angeli cum suis naturalibus perfectionibus, iuxta sententiam quæ negat Angelos accepisse à Christo gratiam, non subordinatur ordini gratiæ, quæ puris hominibus per Christum conferitur. Item ordo gratiæ Angelorum, constituit sensum diuersum ab eo ordine gratiæ in quo nos sumus: ita ut quamuis gratia sit vtrique essentialiter eadem, tamen diuersum fontem habeat in Angelo, diuersum in hominibus. Vnde ratio proposita, quæ nititur subordinatione ordinis naturæ ad ordinem gratiæ, & habitudine finali ordinis gratiæ ad Christum, non habet locum quoad Angelos, si à Christo gratiam non hauriunt, ut fert verisimilima sententia de qua infra. Suppleri tamen potest quod ei rationi quoad Angelos deest, dicendo, gratiam Angelorum ad Christum quoque referri, ut ad finem ex diuina institutione, & prouidentissima ordinatione; si minus quasi ex naturæ rei, & ex eo quod Christus sit fons gratiæ Angelorum, (quod de gratia collata hominibus certum est,) at saltem ex diuina institutione, siue ex eo quod Christus sit à Deo constitutus caput super omnem Ecclesiam Anglicam, de qua Christi prærogatiua postea agemus. Membra autem corporis mystici, ad decus & ministerium ac obsequium capitis diuinitus destinati, atque aded etiam habere eum pro fine non vltimo, patebit ex infra dicendis de ratione capitis.

Vna circa hæc omnia non levis difficultas enascitur, supposita sententia quam de fine Christi Domini supra tradidimus lib. 3. nempe quod Christus non sit productus nisi ob salutem nostram, & occasione peccati. Si enim res ita se habuit, quomodo potuit ordo naturæ qui peccato præiacuit, & ordini gratiæ planè præsuppositus est, ad Christum referri tanquam ad finem, quem oportet præconicipi ut ad eum aliquid ordinetur? Verùm hæc difficultas, ex dictis eodem lib. sect. 1. c. 4. præsertim in solutione sexti argumenti, expedita sufficienter est. Ibi namque ostendimus, quia ratione Christus, etiam si sola salutis nostræ occasione decretus, & præsupponens ordinem naturæ, potuerit præfigi tanquam finis operum diuinorum antè præsuppositorum: quatenus scilicet Deus, cum occasione peccati deuentus est ad Christum omnia antèiura decreta & præconstituta ad eum extrinsecè retulit, actu quasi reflexo: quod abudè est ad tribuendam Christo rationem finis, respectu eorum. Nam quamuis essent futura, etiam si Christus non fieret, tamen posito quod futurus sit, ad huius quoque hominis gloriam referuntur, tanquam ad finem extrinsecum, illis ex diuina institutione præfixum.

vsus doctrine.

119 Est itaque Christus Dominus, naturæ totius & gratiæ, atque aded creatorum omnium finis. Et quia ad finis affectionem capessenda sunt media, iniicitur nobis necessitas, inuendi itinera quibus ad scopum illum pertingi potest: seruandi inquam Christi leges ac præcepta, quæ sunt veluti viæ quæ se adiri voluit. Egregiè in hanc rem philosophatur S. Ambrosius serm. 5. in psal. 118. v. 2. Præfatus enim memorari à Psalte eo loco, *viam iustitiarum, viam testimoniorum, viam mandatorum*, subdit [Interrogemus ergo has vias, ut dicatur nobis, *state in viis legis, & interrogate semitas æternas, & videte quæ via melior, & ambulate in ea.* Cum omnes igitur ambulauerimus vias, veniemus in omnium finem viarum, qui ait; *Ego sum via.* Christus ergo finis viarum. Ipse enim est finis legis ad iustitiam omni credenti. Hinc audeo dicere, quia finis iustitiarum Christus, qui est iustitiae finis testimoniorum Christus, de quo dictum est: *Estote mihi testes, & ego testis dico Dominus, & puer meus quem elegi.* Aduertimus igitur quantum nobis, ambulandum sit, ut veniamus ad Christum. Ambulandum in lege, quia finis legis Christus est. Sine lege ergo non peruenitur ad Christum. Vnde manifestum est quod hæretici qui legem veteris non accipiunt Testamenti, & si dicant quod Christum teneant, tamen non possunt tenere finem, qui initium non tenuerunt: Ipse est Iesus, initium & finis. Oportet igitur ut ambulemus secundum legem spiritalem, ut veniamus ad legis finem Dominum Iesum. Oportet ut sequamur testimonia, ut peruenire possimus ad magnum testimonium Domini Iesum. Oportet etiam ut in præceptis

Domini ambulemus, ut perueniamus ad magnum præceptum.]

Alium fructum ex doctrina de Christo sine nostro, eruit Gregorius Nyss. lib. de perfecta Christiani forma, ubi tractans quomodo Christus sit *caput anguli*, id referens ad Christum finem nostrum, consummationem in nobis internæ externæque virtutis, eo nomine deposcit, sic philosophatur. [Quod à sapiente architecto, fundamentum fidei & anguli caput nuncupatur, id quoque nobis ad vitam ex virtute instituendam expediet. Sic enim bonarum omnium & administrationum civilium, & disciplinarum, & institutorum, tum principium, tum etiam finem esse Dominum dicimus. Nam & spes, quam pro capite accipimus, ad quam rectæ honestæque actiones nostræ omnes tendunt, ille nominatus est à Paulo: & in principio huiusce vitæ ædificij, quod ad ipsum dirigitur, fides in qua vitæ principia tanquam fundamenta iacimus, & quotidianis officiis puras tum cogitationes, tum actiones nostras moderamur. Atque ita, quod vniuersi est caput, nostrum etiam caput efficitur, cum duobus vitæ nostræ, corporis videlicet atque animi mutis per honestatem & puritatem constructis, angulari coniunctione aptè coheret. Quod si altera pars desit ædificio, ut vel animi puritas conspicuam extrinsecus honestatem non habeat, vel hæc quæ videtur, animi virtute vacet, eius manca inchoatæque vitæ caput non erit Christus, quippe qui duplici angularique fabricæ tantummodò quadrat: (neque enim nisi duo concurrunt parietes, angulus fieri potest.) Quare tunc imponetur ædificio nostro summi angularis fastigij pulchritudo, cum ex utraque parte, ad rectam virtutis normam duplex vita & recta & constans, & nihil obliqui curuique habens, perpendicularo concinnè erit accommodata.]

Cui sic fuerit finis in hac vita Christus, spem habet bonam & firmam, fore illi Christum in altera vita finem, qualem his verbis exprimit Iulianus Toletanus lib. 3. prognost. cap. vltimo. [Finis noster Christus, perficiens nos, ipse erit reffectio & laudatio nostra, quem in sæcula sæculorum laudabimus & sine fine laudantes amabimus. Ibi erit, (ut ait Doctor Sanctissimus Augustinus,) verè maximum Sabbatum, operibus, cuius finis non erit vespere, sed Dominicus dies, vel octauus, qui Christi resurrectione paratus est. Ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Numquid alius est noster finis, nisi peruenire ad regnum, cuius nullus est finis?]

